



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De haereticis apud Cameracum per cande[n]s ferrum examinatis & combustis, ex quibus vnus beneficio confessionis saluatus est, cap. 16

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

IN Camoraco ciuitate episcopali, infra hoc quin-
quennium, plures hæretici comprehensi sunt, qui
omnes timore mortis suam perfidiã negauerunt. Mis-
sus est ab Episcopo clericus, qui negantes per candens
ferrum examinaret, adustos, hæreticos esse sententia-
ret, examinati sunt omnes, & combusti sunt omnes:
qui cùm traherentur ad pœnam, vnus ex eis, vir nobi-
lis sanguine, reseruatur à clerico ad vitam, si fortè illū
quoquo modo reducere posset ad pœnitentiam, cū
sic dixit: Homo nobilis es, misereor tui, & compatior
animæ tuæ, rogo & moneo, vt adhuc de tanta perfidia
respicias, & de errore ad veritatē redeas, ne per mor-
tem temporalem, mortem incurras æternam. Ad hæc
ille respondit: Experimento didici me errasse, si sera
pœnitentia mihi prodesse posset, non renuerem con-
fiteri. Cui cùm ille diceret, pœnitentiam veram nun-
quam esse seram, vocauit sacerdotem, cōfessus est ho-
mo suum errorem, ex toto corde Deo promittens, si
vita concederetur, satisfactionem. Vt autem pius Do-
minus vim ostenderet confessionis, mox vt pœnitens
cœpit peccata sua confiteri, cœpit & ipsa combustura
in manu confitentis paulatim minui, quæ in tantum
eo aspiciente decreuit, in quantū professio profecit.
Medietate confessionis peracta, media pars plagæ est
sanata; vt autem confessionem totam compleuit, &
virtus ipsa confessionis combusturam, tam in dolore
quàm in colore, deleuit, & manus pristinã sanitatem
recepit. Vocatus est vir à iudice ad ignem, ad quem
clericus: *Quare eum vocatis? Vt ardeat,* inquit, eo
quòd in examinatione combustus sit. Tunc clericus
ostendens manum eius sanissimam, liberauit eum a
pœnis, cæteris igne consumptis. Hæc cùm audisset
magister Conradus, respondet Abbati; Et ego dicam
vobis simile, quod ante paucos annos apud Argenti-
nam recordor contigisse.